

terminum, sicut patet in intensione lucis corporalis <sup>1</sup>). Ob hanc rationem « lumen spirituale intenditur in uno Beatorum magis, quam in alio, per maiorem assimilationem ad Deum, quamvis in nullo inveniatur aliquid contrarium illi lumini <sup>2</sup> ».

XXV. REPLETIVE—DEFINITIVE—CIRCUMSCRIPTIVE <sup>3</sup>.

XXVI. RESISTENTIA PASSIVA—ACTIVA. *Resistentia passiva* est, cum subiectum per aliquam sui formam, vel dispositionem impedit quominus virtus alicuius agentis aliquem effectum in ipsum inducat. Hac ratione ingens lapis ratione gravitatis resistit motui sursum. Quocirca, nisi maior sit virtus agentis, quam resistentia subiecti, in quod agit, effectus ab illo in istud numquam induci potest <sup>4</sup>. *Resistentia activa* consistit in actione, qua unum contrarium actionem alterius expellit, sicut frigus resistit calori, et vicissim. De hac resistentia activa et passiva ita loquitur s. Thomas: « In aliqua actione potest esse resistentia dupliciter: Uno modo ex parte agentis, quando scilicet ex contrario agente virtus ipsius debilitatur: alio modo ex parte ipsius effectus, quando ex contraria dispositione impeditur effectus <sup>5</sup> ». Insuper docet nullam resistentiam activam in actionibus Divinis occurrere posse; nam haec resistentia in mutuo agentibus et patientibus locum habet; Deus autem « est agens nullo modo patiens; et ideo resistentia in actione Eius non est, nisi ex parte effectus recipientis <sup>6</sup> ».

XXVII. RESPECTIVE—ABSOLUTE <sup>7</sup>.

XXVIII. RES—ENS <sup>8</sup>.

<sup>1</sup> In lib. IV Sent., Dist. XLIX, q. II, a. 4 ad 3.

<sup>2</sup> Ibid.—<sup>3</sup> Vid. p. 64.

<sup>4</sup> Vid. *Actiones sunt a superante*, p. 33. Resistentiam passivam explicat s. Augustinus his verbis: « Ignis spinas consumit, et cuiusque viridi ligno adhibetur, difficile accenditur, humor enim ligni resistit flammae lentae et marcidae, tamen idoneae ad consumendas spinas »; *Enarr. in Ps. XL*, n. 12.

<sup>5</sup> In lib. IV Sent., Dist. XI, q. I, a. 3, sol. 3 ad 2.

<sup>6</sup> Loc. cit., et Dist. XVII, q. I, a. 5, sol. 1 ad 2.

<sup>7</sup> Vid. *Absolute—Comparative*, p. 2.—<sup>8</sup> Vid. p. 108.

R

EFFATA

I. RATIONES CONTRARIORUM IN INTELLECTUM NON SUNT CONTRARIAE. Nimirum *contraria iuxta se posita magis elucescunt* <sup>1</sup>, et *contrariorum eadem est scientia* <sup>2</sup>. Dicitur autem *in intellectu*, ut significetur rationes contrariorum *subiective*, prout in intellectu recipiuntur, non esse contrarias, nam ipsae ab intellectu secundum modum sui esse recipiuntur, ac proinde in eo, quod aliquid intelligibile et spirituale sunt, conveniunt. Quare non possunt esse contrariae, nisi *obiective*, quatenus, cum contrariae sint res, a quibus proficiscuntur, ipsae relatae ad res sunt contrariae. Iam haec *contrarietas* non accidit nisi ratione veri aut falsi: veritas autem et falsitas non inveniuntur in anima ex parte subiecti, sed ex parte obiecti, secundum illud: *Ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa* <sup>3</sup>.

II. RECEPTUM EST IN RECIPIENTE PER MODUM RECIPIENTIS <sup>4</sup>.

III. RECIPIENS DEBET ESSE DENUDATUM A NATURA RECEPTI. Nempe, si tale est subiectum, ut quamlibet formam recipere possit, oportet ut nullam ex iis habeat sibi propriam; quare materia prima dicitur omnino *informis*, quia est in potentia ad omnes formas <sup>5</sup>. Sin subiectum est tale, ut hanc, vel illam formam tantum recipere possit, illa solum forma *denudatum* esse debet, quam recipere potest. Hinc s. Thomas: « Illud, quod est receptivum aliorum, non oportet quod sit privatum qualibet natura determinata, sed quod sit denudatum a natura receptorum, sicut pupilla a natura colorum; et ideo intellectum possibilem necesse est habere naturam determinatam; sed ante intelligere, quod est per receptionem speciei, non habet in natura sua aliquid eorum, quae a sensibilibus recipit, et hoc est, quod dicitur, quod nihil est eorum, quae sunt <sup>6</sup> ».

<sup>1</sup> Vid. p. 80-81.—<sup>2</sup> Vid. p. 86.

<sup>3</sup> Vid. s. Thom. I, q. LXXXV, a. 6 c. et Caiet., ibid.

<sup>4</sup> Vid. p. 303.—<sup>5</sup> Vid. p. 127-128, et 197.

<sup>6</sup> In lib. II Sent., Dist. XVII, q. II, a. 1 ad 4. Cf. etiam *Qq.*

IV. RELATA DICUNTUR AD CONVERTENTIAM <sup>1</sup>. Quid sit *convertentia* alibi explicavimus <sup>2</sup>. Itaque sensus huius effati non est ut relata de se mutuo praedicentur; ita ut quod est *relatum* sit etiam *correlatum*, qua ratione species, et proprium *reciprocari*, seu *converti* dicuntur; sed tantum ut eo modo, quo *correlatum* dicitur de suo *relato*, ita *relatum* dicatur de suo *correlato*. E. g., dicitur dominus est servi dominus, et servus est domini servus: Pater est filii pater, et filius est filius patris etc. Haec autem reciprocatio fieri potest vel per casum genitivum, ut in alatis exemplis, vel per quemvis alium casum, uti sensus est rei sensilis sensus, sed res sensilis est sensu sensilis. Patet autem effatum intelligendum esse 1<sup>o</sup> de relatis *formaliter* consideratis; 2<sup>o</sup> dummodo ad apta et accommodata correlata referantur, nisi enim id fiat, converti non poterunt, ut si caput ad animal referatur, non cum eo convertetur; nam licet omne caput sit alicuius animalis, tamen non omne animal caput habet, ut videre licet in vermibus, ostreis, echinis, et aliis nonnullis. Denique illud monendum est cum s. Thoma, quod « quamvis relativa consequantur se in esse, non tamen consequantur se in aliis praedicamentis: non enim sequitur, si pater est musicus, quod filius est musicus <sup>3</sup> ».

V. RELATA NON HABENT CONTRARIUM. Nempe si relata spectentur secundum illud accidens, quod est eorum fundamentum, tunc possunt habere contrarium, vel non, prout illud capax sit contrarii, vel non. E. g., relativa, quae fundantur in qualitate, habent contrarium, puta virtus contraria est vitio; secus vero ea, quae innituntur in quantitate. Quod si relata considerentur, prout ad aliquid referuntur, non habent quidem contrarietatem proprie acceptam, puta, scientia non est contraria scibili, sed tantum oppositionem relativam cum eo habet. Porro haec oppositio est minima omnium oppositionum <sup>4</sup>; ideoque efficit ut relata non se mutuo destruant, sicut contraria, sed tantum ut sibi e regione respondeant. Inde evenit ut

*dispp.*, De Ver., q. XXII, a. 1 ad 8; *ibid.* q. un. De An., a. 8 c. Vid. p. 189.

<sup>1</sup> Hoc effatum protulit etiam s. Augustinus, De Trin., lib. VII, c. 1, n. 2.—<sup>2</sup> Pag. 313.

<sup>3</sup> In lib. I Sent. Dist. XXI, q. 1, a. 2 sol.—<sup>4</sup> Vid. p. 84.

huiusmodi oppositio etiam in *Divinis* haberi possit, quia ex ea non aliqua enascitur privatio, sed sola realis distinctio, quae insuper non respicienda est *secundum rem absolutam*, nempe *essentiam*, in qua est *summa unitas*, et *simplicitas*, sed *secundum rem relativam* <sup>1</sup>. Sic Pater et Filius distinguuntur in *Divinis* per oppositionem relativam <sup>2</sup>.

VI. RELATA NON SUSCIPIUNT MAGIS ET MINUS. « Relationes, ait s. Thomas, non recipiunt magis, et minus <sup>3</sup> ». Subauditur *per se*. Non enim relatio crescit aut decrescit ratione sui. E. g., unum duplum non est altero magis duplum, nam res longa duobus palmis tam est dupla in palmo, quam res longa duabus ulnis est dupla in ulna. At possunt suscipere magis et minus, seu possunt intendi aut remitti ratione fundamenti, nempe propter aliquam fundamenti mutationem. E. g., in calido, ut quatuor, est maior similitudo cum calido, ut tria, quam cum calido, ut sex, non quia ipsa relatio similitudinis *per se*, quatenus relatio est, suscipiat intensionem, vel remissionem, sed quod hanc denominationem sortiatur ex fundamento, scilicet ex calore. Item, cum paries minus albus dealbatur, fit similior alteri maxime albo, ratione ipsius albiditudo, quae augetur.

VII. RELATA SUNT SIMUL NATURA. Relata sunt simul *natura*, quatenus simul affirmari debent aut poni, simulque negari aut tolli, ut, si alterum dicas, necessario alterum admittendum sit, et si neges alterum esse, necessario quoque debeas alterum negare. Ut si dixeris patrem esse, necessario consequetur etiam esse filium, et si dominum, necessario esse servum. Quod si dicas servum non esse, etiam non erit dominus <sup>4</sup>. Haec autem connexio in eis existit ex eo quod sicut unum relatum est causa relativi *esse* alterius, ita hoc illius; e. g., non minus causa est Orestes, cur Agamemnon appelletur pater, quam Agamemnon causa, cur Orestes vocetur filius; si enim numquam habuisset liberos, numquam meruisset nomen patris Quare « quod relativa posita se ponant, non ha-

<sup>1</sup> I, q. XXVIII, a. 3 c.—<sup>2</sup> Vid. p. cit.

<sup>3</sup> 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXXIII, a. 4 c.

<sup>4</sup> « Nominum, quae ad aliquid sunt, alterum quodammodo in altero esse suum habet, et, sublato uno, alterum etiam interit »; s. Cyrill. Alex., *Thesaur.*, Assertio XI.

bent ab eo quod sunt opposita, sed habent ab eo, quod a se invicem dependent secundum intellectum; quia sic utrumque est finis et terminus alterius, et sic unum non potest poni sine reliquo; quia quod ponitur esse finitum per intellectum alterius, non ponit esse finitum ante intellectum illius, nec habet esse sine illo<sup>1</sup>».

Porro hoc effatum accipiendum est de relatis *formaliter* sumptis, quatenus relata sunt, sive quoad additam relationem. Sic enim, uno posito, ponitur alterum, et, uno sublato, aufertur alterum; nam pater non est prius pater, quam habeat filium, neque filius est prius filius, quam habeat patrem. Revera si relatum, prout relatum est, sine correlato esse posset, tum non haberet *esse ad aliud*; ac proinde desineret esse relatum. Non item accipi potest de relatis *materialiter* sumptis, quatenus sunt quaedam entia absoluta; sic enim pater prius habet *esse hominis*, quam filius. Insuper intelligendum est de relativis mutuis. Nam in relativis non mutuis, sublato termino, in quo fundamentum est logicum, tollitur quidem terminus, in quo fundamentum est reale; ast, illo posito, necesse non est, ut iste simul ponatur; e. g., sublato scibili, scientia tollitur, quia scientiam sine re, quae scitur, esse repugnat; at, posito scibili, necesse non est poni scientiam, quia aliquid posset sciri, quin sit quispiam, qui illud sciat. Item, sublato sensili, haud possibile est ullum sensum esse, quia sensus alicuius rei, nempe sensatio, sine re, quae sentitur, est notio, quae seipsam destruit; at non repugnat esse corpora, quin sit ullum animal, quod ea sentit; ita ut, posito sensili, necesse non sit ut sensus ponatur. Quocirca relativa *non mutua* non sunt *simul natura*. Hinc s. Thomas: « Dicendum, quod illa relativa sunt simul natura, quae pari ratione mutuo referuntur, sicut pater ad filium, dominus ad servum, duplum ad dimidium. Illa vero relativa, in quibus non est eadem ratio referendi ex utraque parte, non sunt simul natura, sed alterum est prius naturaliter; sicut etiam Philosophus dicit de sensu et sensibili, scientia et scibili<sup>2</sup> ». Nisi quod

<sup>1</sup> Alb. M., *De Praedicam.*, tract. VII, c. 3.

<sup>2</sup> *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 8 ad 1. Unde concludit: « Et sic patet, quod non oportet quod Deus, et creatura sint simul natura, cum non sit eadem ratio referendi ex utraque parte ».

cum in relatione non mutua terminus logicus tamquam actu relationem habens ad terminum realem sumitur, tunc ambo sunt *simul natura*, siquidem « relatio secundum actum exigit duo extrema in actu existere<sup>1</sup> ». E. g., « scibile, secundum modum suae significationis, praeexistit scientiae. Sed, si accipiatur scibile, secundum actum, tunc est simul cum scientia secundum actum; nam scitum non est aliquid, nisi sit eius scientia<sup>2</sup> ».

VIII. RELATA SUNT SIMUL COGNITIONE<sup>3</sup>. Hinc qui novit unum relatorum, novit et alterum. Quod effatum eandem, quam praecedens, explicationem admittit. Quare 1<sup>o</sup> intelligendum est, de relatis non *materialiter*, sed *formaliter* consideratis. 2<sup>o</sup> Cum relatio in utroque extremo est realis, conceptus unius extremi conceptum alterius secum involvit, et vicissim; e. g., conceptus effectus conceptum causae, et conceptus causae, prout causa est, conceptum effectus in se includit; namque tum relatio causae ad effectum, tum huius ad illam est *realis*. At, si relatio in uno extremorum sit *realis*, in altero sit tantum *rationis*, tunc per conceptum illius extremi, in quo relatio est *realis*, ad conceptum alterius extremi, in quo relatio est *rationis*, mens nostra assurgit, sed non vicissim. E. g., conceptus entis contingentis ad mentem nostram revocat conceptum Entis necessarii; at huius conceptus ad contingentis conceptum nos necessario non perducit; nam relatio Entis necessarii ad contingens est realis in isto, non vero in illo, cum Ens necessarium sine contingente existere possit, atque per huius existentiam, praeter quamdam denominationem, nihil novi acquirat.

Secundum hanc explicationem, istud effatum, monente s. Thoma, criterium logicum nobis suppeditat, ex quo facile cognosci possit, utrum duo termini relationis sint *simul natura*, necne: « Si enim unum (relativorum) in suo

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXX, q. I, a. 1 sol.

<sup>2</sup> I, q. XIII, a. 7 ad 6. Quocirca Deus « non potest referri ad creaturas, ut actuale principium creaturae, nisi creatura existente in actu »; *In lib. I Sent.*, loc. cit.

<sup>3</sup> « Nomina relativa non per se et seorsum intelliguntur, ut reliqua nomina, sed omnino ea etiam, quorum respectu dicuntur, significant »; s. Cyrill. Alex., *Thesaur.*, Assert. XI. « Nomina, quae ad aliquid sunt, aut quacumque ratione respectu alterius dicuntur, simul et intellectu et natura sunt »; *ibid.*

intellectu claudat aliud, et e converso, tunc simul sunt natura, sicut duplum, et dimidium, et pater, et filius, et similia. Si autem unum in sui intellectu claudat aliud, et non e converso, tunc non sunt simul natura, et hoc modo se habent scientia, et scibile<sup>1</sup> ».

Praeterea haec circa idem effatum prae oculis habenda sunt: 1<sup>o</sup> Qui novit unum relatorum, novit et alterum, *indefinite* quidem, at non semper *definite*, scilicet cognoscit esse alterum, non vero quodnam illud sit. Ita qui scit Petrum esse patrem, illico cuius pater sit, non cognoscit; licet alicuius esse certo cognoscat: item, qui novit Aristotelem esse praeceptorem, is etiam perspectum habet, aliquem eius esse discipulum, quamvis nec Alexandrum norit, nec Theophrastum. Dicitur *non semper*; nam qui unum relatorum novit *definite*, perfecte, et certo, in suo peculiari relatorum gradu, is quoque *definite*, certo et exacte novit alterum eodem gradu illi e diametro respondens. 2<sup>o</sup> In relatis *aequiparantiae* non solum cognoscitur existentia *correlati*, sed et proprietas. Si enim cognoscam hunc parietem esse similem alteri, et hunc parietem esse album, etiam cognosco alterum parietem esse album; alioquin nihil mihi constabit de similitudine. At in relatis *disquiparantiae* non aliud necessario cognoscitur, quam existentia *correlati*; ad hoc enim, ut cognoscam dominum, satis est, si cognoscam existere aliquem eius servum.

IX. RELATA PER SE MUTUO DEFINIUNTUR. Nempe relata *mutua*, quatenus ad invicem referuntur, mutuo se definiunt. Sic pater, ut pater, definitur per filium, et filius per patrem, idque si non expresse, saltem tacite et implicite; siquidem pater dicitur, qui genuit filium, et filius dicitur, qui a patre genitus est. Hinc relata vere et proprie dicta huiusmodi sunt, ut, cum unum per veram definitionem cognoscatur, cognoscatur et alterum. Cum enim relatorum *esse* in mutua ista relatione sit positum, sequitur ut unum ipsorum necessario sumendum sit in alterius definitione. Inde fit, ut regula illa, quae circulum in definitionibus vitandum esse iubet, in absolutis locum habeat; non item in relatis. Nam si quidquam tum intelligitur, cum intelligitur prout in se est, liquet ea, quae non sunt per se, sed per aliud, non ex se, sed ex

<sup>1</sup> i. q. XIII, a. 7 ad 6.

alio, per quod sunt, intelligi oportere. Quamvis nec sit omnino circulus, quia scilicet relata se definiunt sub diverso respectu: nam filius definitur per patrem, ut a se respectum; pater vero definitur per filium, tamquam respiciens ipsum. Accedit quod relata non tam *per se* mutuo, quam *ad se* mutuo definiuntur; ponitur enim correlatum in definitione relati, non quod in essentia eius sit, sed quod ad illud referri sit ipsi *essentiale*.

X. RELATIO HABET ESSE IMPERFECTISSIMUM. Cuius ratio est, quia *esse* relationis non solum, uti reliqua accidentia categorica, ab *esse* substantiae, sed etiam, secus ac illa, ab *esse* eius, ad quod substantia per ipsam refertur, pendet: « Debilitas esse relationis consideratur secundum inhaerentiam sui ad subiectum, quia non ponit aliquid absolutum in subiecto, sed tantum per respectum ad aliud<sup>1</sup> ». Clarius alibi: « Relatio realiter substantiae adveniens et postremum, et imperfectissimum esse habet. Postremum quidem, quia non solum praexigit esse substantiae, sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus causatur relatio; sicut unum in quantitate causat aequalitatem, et unum in qualitate similitudinem. Imperfectissimum autem, quia propria ratio relationis consistit in eo, quod est ad alterum; unde esse eius proprium, quod substantiae superadditur, non solum dependet ab esse substantiae, sed etiam ab esse alicuius exterioris<sup>2</sup> ».

XI. RELATIO NON FACIT COMPOSITIONEM. Hoc intelligitur de relatione, quatenus habet *esse ad aliud*, seu quatenus *dicit ad*. « Relatio, secundum rationem suam non habet quod sit aliquid, sed solum quod ad aliud referatur; unde secundum rationem suam non ponit aliquid in subiecto<sup>3</sup> ». At relatio, prout *dicit in*, componit cum subiecto cui inhaeret: « Relatio quae habet esse in creatura, habet aliud esse, quam sit esse sui subiecti, unde est aliquid aliud a suo subiecto<sup>4</sup> ».

<sup>1</sup> In lib. I Sent., Dist. VIII, q. IV, a. 3 ad 4. « Sic autem non est in Deo, non enim habet aliud esse, quam esse substantiae »; *Qq. dispp., De Pot.*, q. VIII, a. 1 ad 4.—<sup>2</sup> *Cont. Gent.*, lib. IV, c. 14.

<sup>3</sup> In lib. I Sent., Dist. XX, q. I, a. 1 sol.

<sup>4</sup> *Ibid.* Dictum est in creatura, quia « in Deo nihil est, quod habet esse aliud ab Ipso; esse enim sapientiae est ipsum Esse Divinum, et non superadditum; et similiter esse Paternitatis »; *ibid.* Vid. p. 95, ubi etiam explicatum est, quid significet *dicere ad—in*.

XII. RELATIVE DICTA POSSUNT DE NOVO PRAEDICARI DE ALIQUO ABSQUE HUIUS MUTATIONE. Nempe illa, quae absolute dicuntur, si novam accipiant praedicationem, mutantur; puta mutatur paries, cum dicitur fieri albus. Hinc in iis fieri est mutari. At ea, quae relative dicuntur, possunt accipere novam praedicationem, absque mutatione illius, cui haec praedictio attribuitur. E. g., « nulla mutatione facta circa scibile incipit esse a me scitum, per mei mutationem <sup>1</sup> ». Hinc in iis, quae huiusmodi sunt, non necesse est, ut hoc, quod dicitur fieri, sit mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius: « Contingit quod in relativis praedicationibus fiat mutatio, altero extremorum mutato, altero invariabili manente <sup>2</sup> ». Ratio autem huius effati est, quia « ea, quae absolute dicuntur, secundum proprias rationes ponunt aliquid in eo in quo dicuntur, ut quantitas, et qualitas, et huiusmodi . . . Unde non possunt dici, nisi illud mutetur per susceptionem eius, quod prius non habuit. Sed relatio secundum suam rationem non habet quod ponat aliquid in eo de quo dicitur, sed ponit tantum habitudinem ad aliud; unde invenitur aliqua relatio non realiter existens in eo de quo dicitur; et ideo in talibus habitudines illae de novo dicuntur de aliquo non per mutationem eius, sed illius ad quod dicitur <sup>3</sup> ».

Exinde colligit sanctus Doctor « nomina importantia relationem ad creaturam praedicari de Deo ex tempore, non propter aliquam mutationem Ipsius, sed propter creaturae mutationem, sicut columna fit dextera animali, nulla mutatione circa ipsam existente, sed animali translato <sup>4</sup> ». Colligit etiam nullam mutationem in Deo indicari, cum Ipse dicitur factus homo. Nam « esse hominem convenit Deo ratione unionis, quae est relatio quaedam: et ideo esse hominem praedicatur de novo de Deo absque Eius mutatione, sed per mutationem humanae naturae, quae assumitur in Divinam Personam <sup>5</sup> ».

XIII. RELATUM NON DICITUR BIS. Cuius effati sensus hic videtur esse: Unum relatum unica relatione non refertur

<sup>1</sup> In lib. III Sent., Dist. I, q. I, a. 1 ad 1.

<sup>2</sup> In lib. I Sent., Dist. XL, q. I, a. 3 sol.

<sup>3</sup> In lib. I Sent., Dist. XXX, q. I, a. 1 sol.

<sup>4</sup> I, q. XIII, a. 7 c.—<sup>5</sup> 3, q. XVI, a. 6 ad 2.

ad duo correlata, totalia et formaliter accepta, sed ad unum tantum, nimirum formaliter sumptum. Etenim, aiente s. Bonaventura, « numerus relationum secundum differentiam formalem, sive specificam, causatur a principio, a quo est <sup>1</sup> »; siquidem natura specifica relationis in ordine ad aliud consistit; quapropter si multiplicentur fundamenta, quorum gratia unum ad alterum refertur, idem subiectum non potest unica relatione ad correlatum suum referri: E. g., idem homo non potest unica relatione ad aliquem referri tamquam pater, et tamquam dominus—quia paternitas, et dominium sunt causae, ex quibus relationes specie differentes oriuntur.

Ex hoc effato illud infert s. Thomas, quod « secundum duas relationes Filii, et Spiritus Sancti, quibus referuntur ad Patrem, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium, et Spiritum Sanctum <sup>2</sup> ».

Attamen potest 1<sup>o</sup> unum relatum unica relatione referri ad plura correlata, quae sint termini *inadaequati*. Hinc filius unica relatione refertur ad patrem et matrem; nam praeterquam quod unum est fundamentum, propter quod ad utrumque habet ordinem, nempe nativitas, pater et mater sunt *inadaequata* correlata filii, atque ex illis fit unum totale extremum. « Una passio respondet duabus actionibus, quando neutrum agens sufficit per se ad actionem complendam, sicut est in eo, qui una nativitate nascitur ex patre et matre; unde in patre, et matre sunt duae relationes secundum rem, sicut et duae actiones; sed in nato est una relatio secundum rem, secundum quam refertur ad patrem, et ad matrem, sicut et passio una <sup>3</sup> ». 2<sup>o</sup> Ad plura correlata, quae *mere materialiter* sint plura. Hinc unus pater unica relatione *paternitatis* potest respicere plures filios; horum enim pluralitas *mere materialiter* se habet respectu *paternitatis*. Re quidem vera relatio patris precise respicit filium sub ratione filii, et quod plures participant illam rationem filii, *mere materialiter* se habet; sicut etiam magister docens plures discipulos eandem scientiam, ad omnes eos unica relatione refertur <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> In lib. III Sent., Dist. VIII, a. I, q. 2 *resol.*

<sup>2</sup> I, q. XXXII, a. 2 c.

<sup>3</sup> In lib. III Sent., Dist. VIII, q. I a 3 *sol.*

<sup>4</sup> 3, q. XXXV, a. 3 c.

XIV. RELATORUM UNO MULTIPLICATO, MULTIPLICATUR ET RELIQUUM. Quod effatum ex superiori intelligitur; atque ita a s. Bonaventura explicatur: « Dicendum quod illud verum est de multiplicatione formali, et de eo correlativo, a quo dependet correlativum dependentia essentiali; sed si unum correlativum multiplicatur multiplicatione materiali, non habet veritatem. Sicut est, quando unus homo generat plures filios, et unus magister docet plures discipulos; tunc enim relatio, quae est in ipso, non dependet ab unoquoque eorum, nisi dependentia accidentali, et, desinente uno, salvatur ratio in altero. Unde quando quis generat, post primum filium, alium, non nascitur in eo nova paternitas, sed primae paternitati innascitur novus respectus, quia pater est plurimum, quam prius erat<sup>1</sup> ».

XV. REMOTA RATIONE FORMALI CUIUSCUMQUE REI, TOLLITUR SPECIES<sup>2</sup>.

## S

### DISTINCTIONES

I. SAPIENTIA—SCIENTIA. *Scientia*, ut omnes norunt, est cognitio certa, et evidens rei per propriam causam<sup>3</sup>: *Sapientiae* autem illud proprium est, quod sit cognitio rerum altissimarum, hoc est quae a sensibus valde remotae sunt, per altissimas causas et universalissima principia; quia prima rerum principia expendit, et ab illa ceterae scientiae suorum principiorum confirmationem, et evidentiam mutuatur: « Sapientia considerat altissimas causas; unde convenienter iudicat et ordinat de omnibus, quia iudicium perfectum et universale haberi non potest, nisi per resolutionem ad primas causas. Quare « sapientia est quaedam scientia, in quantum habet id, quod est commune omnibus scientiis, ut scilicet ex principiis con-

<sup>1</sup> In lib. III Sent., Dist. VIII, a. 2, q. 2 ad arg. « Unde, subdit, Christus generatione temporali non acquirit novam filiationem, sed incipit esse filius alterius, scilicet hominis virginis ». Vid. etiam s. Thom., In lib. III Sent., Dist. VIII, q. 1, a. 5, et Quodlibet XI, q. II, a. 4.

<sup>2</sup> Vid. p. 143.

<sup>3</sup> Scientia est stabilis comprehensio per veras ac stabiles rationes deducens ad causae cognitionem; « Clem. Alex., Strom., lib. VI, n. 48. Vid. p. 241.

clusiones demonstret; sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias, in quantum scilicet de omnibus iudicat, et non solum quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia, ideo habet rationem perfectioris virtutis, quam scientia<sup>4</sup> ». Solet etiam *sapientia* latiori sensu intelligi pro quadam intellectuali rectitudine ad bene iudicandum de omnibus rebus, consurgens ex perfecta scientiarum omnium complexione: unde aliquis simpliciter, et absolute *sapiens* denominatur. Aliquando tamen *sapientiae* nomine intelligitur virtus intellectualis in aliquo tantum genere; quo sensu quisquis in sua arte peritus, qui causas et principia rerum eiusdem artis reddere potest *sapiens* appellatur: ita solemus dicere *sapientem architectum, sapientem medicum* etc.

II. SCIENTIA—INTELLIGENTIA<sup>2</sup>.

III. SECUNDARIUM—PRIMARIUM<sup>3</sup>.

IV. SECUNDUM SE—QUOAD NOS. 1<sup>o</sup> Quaedam res dicitur *secundum se* causa alicuius effectus, cum vere causa est, atque realiter ab eodem effectu differt. *Secundum nos*, cum inter eam et effectum, qui ipsi tribuitur, nulla est, realis distinctio, sed ita a nobis concipitur, ac si huius causa esset. E.g., immutabilitas in Deo *secundum nos* est causa ipsius Dei aeternitatis. 2<sup>o</sup> Ea, quae *realiter* inter se differunt, *secundum se*: ea vero, quae *ratione* tantum, *secundum nos* differre dicuntur<sup>4</sup>. 3<sup>o</sup> Aliquae veritates sunt notae *secundum se*, et non *quoad nos*; aliae *secundum se*, et *quoad nos*<sup>5</sup>.

V. SECUNDUM QUOD IPSUM — SECUNDUM ALIUD. Aliquid alicui, *secundum quod ipsum est*, convenire dicitur, quod eius essentiae proprium est, seu, ut ait s. Thomas « quod ipsum non excedit; sicut habere tres angulos duobus rectis aequales non excedit triangulum, de quo praedicatur, sed est eidem convertibile<sup>6</sup> »; *secundum aliud* vero convenit alicui illud, quod per causam extra eius essentiam ipsi convenit, *sicut album homini*<sup>1</sup>. Latiori autem significatione illud, quod *naturaliter* alicui convenit, *secundum*

<sup>1</sup> 1<sup>o</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LVII, a. 2 c. « Sapientia pertinet ad intellectum aeternorum »; s. Aug., De div. quaest. ad Simplician., lib. II, q. 2, n. 2.

<sup>2</sup> Vid. Intelligere—Ratiocinari, p. 177.—<sup>3</sup> Vid. p. 268.

<sup>4</sup> Vid. p. 135-136.—<sup>5</sup> Vid. p. 222.

<sup>6</sup> Contr. Gent., lib. II, c. 15, n. 1.—<sup>7</sup> Ibid.